Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2003

Quelle:
Copyright:

tatione Thomæ Crameri archiepiſcopi nuper Cantuarienſis, et Nicolai Ridleij nuper Epiſcopi Londonienſis et Hugonis Latemeri olim epiſcopi Wigornienſis. Scriptae ſunt ab Homine acatholico, qui diſputationi intererat, incipiuntque: *Anno domini 1554. 21. Aprilis die ſabbathi Thomas Cranmerus ſiſtebatur coram doctore Weſton alijsque multis Oxonienſibus et Cantabrigienſibus doctoribus ad numerum 24.* &c. Rem paene eodem modo narrat *J. Strypius* in *Eccleſiaſtical Memorials*, *Burnetus* in *Hiſt. of the Reformation*, aliique Proteſtantium Autores.

IV. *fol.* 5. Ex Rationali divinorum Officiorum *Guil. Duranti* breve Excerptum de *Carolo* M. libros Ambroſiani officii comburente, quod habetur L. 5. c. 2.

V. *fol. eod. Quæſtio. An opera bona ad ſalutem ſint neceſſaria.* Incipit: *Quod ad quæſtionis hujus explicationem attinet, notandum eſt, primo neceſſarium multipliciter intelligi poſſe* &c. Poſt varias diſtinctiones ſcholam utcunque ſapientes *bona Opera* dicuntur *media diuinitus inſtituta, ſine quibus ad vitam æternam non peruenitur iuxta illud Chriſti, Si vis ad uitam ingredi ſerua mandata* &c. *Georgii Caſſandri* videtur meditatio.

VI. *fol.* 6. p. 2. *Abuſus circa inuocationem et cultum ſanctorum etiamſi interpellatio ſeu inuocatio quodam modo recipiatur.* Sunt numero IX. noti illi, ſaepius obmoti, et in rudiori plebecula, cujus potiſſimum erant, indies magis evaneſcentes. Adjectus eſt locus ex *Coſmodromii Gobelini Perſonae Aet.* VI. c. 15. quo autor ſua de *Catharinae* Virginis vita et paſſione dubia proponit.

VII. *fol.* 8. *Innocentii Tertii Vita continens quædam a Platina prætermiſſa, quæ ad rerum geſtarum cognitionem et operum eius intelligentiam faciunt ex fide dignis ſcriptoribus fideliter collecta.* Addidit alia manus: *Per Geor. Caſſandrum.* Excerpta eſt ex duabus Vitis, una *Bern. Guidonis*, altera *Anonymi*, quam *Steph. Baluzius* Epiſtolis *Innocentii* 1682. *Pariſiis* editis praefixit. Utramque repraeſentavit *Lud. Muratorius Scriptt. Ital.* T. III. P. 1. p. 480. et 486. Obitus vero Pontificis acceptus eſt ex *Albrici Trium Font. Monachi Chronico* ad an. 1216. edit. *Leibnit. Lipſ.* 1698. p. 492. 4. Vides, Mſptos Codices *Caſſandro* non defuiſſe.

VIII. *fol.* 12. *Incipit liber ueteris teſtamenti, teſtimoniorum de Chriſto, a Candido ſcriptus et Regi Carolo miſſus.* Praecedunt hunc Titulum verſus:

Candidus hæc nobis linquit pulcherrima ſcripta
Ad regem Chriſti Carolum porrecta ſerenum
De nato Chriſto contra falſosque magiſtros.

Initium